

hebdomades septuaginta duas occidetur CHRISTUS יְהוֹשֻׁעַ & non ipsi.

2. Ex efficacia verbi divini, quæ in convertendis & consolandis hominum animis prorsus divina est. *Ebr. 4. v. 12. Vivus & efficax est sermo Dei & penetrantior quovis gladio ancipiti, ac pertingit usq; ad divisionem animæ & spiritus. Pal 119. v. 82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me? vers. 29. Nisi lex tua delectationes meæ fuissent, tunc perissem in afflictionis meæ. Jer. 15. v. 16.*

3. Ex interno Spiritus sancti testimonio. 1. *Job. 5. v. 6. 9. 10. Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. vers. 9. Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quod testificatus est de filio suo. v. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo. Eph. 1. v. 13. In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis spiritu promissionis Sancto.*

### THESIS XI

Perspicuitas verbi divini tanta est, ut vi suorum verborum dilucidè satis proponat omnia fidei dogmata scitu necessaria.

*Deut. 30. v. 11. 12. 13. 14. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neq; procul positum. v. 12. Nec in cælo situm ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere compleamus. v. 13. Neq; trans mare positum: ut causeris & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est? v. 14. Sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Psal. 19. v. 8. 9. Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Ps. 119. v. 105. 130. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.*